



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Albanensi Electo, apostolicæ sedis Legato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

latam postposita omni occasione solemniter innovent & à suis faciant subditis innovari. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si aliquis eorum, quod non credimus, mandati nostri extiterit negligens executor, tu eum, appellatione remota, canonica pœna percellas. Datum Laterani v 11. Idus Iunij, anno quartodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est ipsis super hoc.

POTESTATI ET POPULO
Bononiensi, spiritum consilij sanioris.

*Epist. 79.
Vt relinquunt
partes Ottonis.*

MIrari cogimur & moveri quòd cum Otto dictus Imperator, excommunicatus & maledictus, non cesset Romanam Ecclesiam impugnare, vos non tantum ei sed & fautoribus ejus, qui sunt excommunicati cum ipso, vestrum impenditis auxilium & favorem. Quocirca universitatem vestram monemus attentius & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus ab hujusmodi proposito desistentes, nullum sibi vel suis auxilium aut consilium impendatis. Alioquin noveritis nos dilecto filio Albanensi electo apostolicæ sedis Legato nostris dedisse litteras in mandatis ut personas excommunicationi & terram subiciat interdicto; quòd si nec sic duxeritis resistendum, scholas de ipsa faciat civitate transferri. Datum ut in alia.

Scriptum est ipsis super hoc in eundem modum.

ALBANENSI ELECTO,
apostolicæ sedis Legato.

*Epist. 80.
De edificatione
castri Ferraris.*

Dilectus filius nobilis vir Marchio Estensis nobis humiliter supplicavit ut in Ferrariensi civitate construendi casttrum, per quod ipsam melius defendere valeat & ad fidelitatem Romanæ Ecclesiæ conservare, licentiam concedere dignamur. Nos igitur id tuæ prudentiæ committentes, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus super hoc statuas ad honorem & profectum Ecclesiæ quod videris expedire. Datum Laterani v 11. Idus Iunij.

EPISCOPO CAPDAQVENSIS,
& Abbati Cavensi Salernitanæ diocesis.

*Epist. 81.
De electione
Episcopi Policastrensis.*

Policastrensi Ecclesia dudum proprio viduata pastore, cum ipsius Capitulum, sicut pro ejus parte fuit propositum coram nobis, obtenta licentia eligendi dilectum filium Archiepiscopum de Sapo-

naria in Episcopum unanimiter elegerent, quosdam ex Canonicis in Siciliam transmiserunt ad assensum regium obtinendum. Vnde cum Rex nec super hoc nec super quibusdam personis aliis postea, quod non licuit, nominatis ad eorum potuisset desideria inclinari, & ex parte ipsius Regis suggestum fuisset eidem, comminationibus intentatis, ut Iacobum ejus Medicum nominarent, ipsi Regis metuentes indignationem incurere, dolentes pariter & inviti, dictum Iacobum elegerunt, qui cum dilecti filij nostri Gregorij tituli sancti Theodori Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati & Regis litteris ad venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Salernitanum accessit pro confirmationis & consecrationis gratia obtinenda. Sed Archiepiscopus prius quam in negotio ipso procederet, nostræ responsionis oraculum requisivit. Cui dedisse recolimus in mandatis ut super electionibus in Policastrensi & Sarnensi Ecclesiis celebratis procedere retardaret, cum disponenter ad Regis presentiam nostros nuntios destinare, per quos super his & quibusdam aliis nostram plenius intelligeret voluntatem. Vnde cum Archiepiscopus memorato Iacobo responsum apostolicum rescripsisset, propriis litteris nostrarum tenore litterarum inserto, idem commotus dicitur respondisse: *Revertar ad Regis curiam, & ab his qui eligi me fecerunt, super consecratione mea favore & auxilium obtinebo.* Verum eodem postmodum apud Regis curiam multipliciter laborante pro consecrationis munere obtinendo, supradicti Capituli nuntij Cardinali præfato mandatum nostrum ad Archiepiscopum memoratum directum exponere curaverunt; & supplicantes eidem ne dicto Iacobo ad consecrationis gratiam obtinendam auxilium vel favorem impenderet, ad sedem apostolicam appellarunt. Cum autem Cardinalis nostras ab eis litteras quæsivisset, & ipsi earum penes se authenticum non haberent, ipse inducias eidem indulset, infra quas dictas ei litteras vel earum tenorem sub sigillo supradicti Archiepiscopi præsentarent. Quorum recessu propter turbationem temporis retardato, ad Cardinalis presentiam redeuntes, cum peterent inducias prorogari, Cardinalis ipse respondit se nullum eis terminum assignare, sed ipsi bona fide quam citò possent ad ipsius presentiam cum nostris litteris vel earum transcripto redire curarent. Cumque maris turbatione pacata se ad iter accingerent redeundi, in ejusdem Cardinalis presentia